



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VII. De sex vltimis prædicamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

conueniens terminorum assignatio, vt palam fit exemplis adductis: cæterum licebit semper reciprocare, si termini designentur accommodati. Ergo si respondeat ala alatum, & clauo, capitique clauatum, & capitatum (his enim, & similibus euentis iubet Aristoteles nomina fingere, siquæ sunt in vsu, non sint ad conuersionem apta) ita quidem vti ala est alati ala, ita alatum est ala alatum, & vti clauus est clauati clauus, ita clauatum est clauo clauatum: ac denique vti caput est capitati caput, ita capitatum est capite capitatum aliquo. Porro hoc attributum omnibus relatiuis, non huius modo prædicamenti, sed etiam cuiusuis alterius, imo etiam relatiuis rationis congruit, vt intuenti clarebit.

373 Quantum attributum prædicamentalis relationis est simultas naturæ ea inter extrema, quæ per illam comparantur inuicem. Eius autem conditiones sunt duæ. Prima est, vt altero relatiuorum existente, tum temporis existat etiam aliud, & altero deficiente, alterum etiam deficiat: quo fit, hominem, & animal haud esse simul naturæ: nec enim extincto homine perit animal vniuersum sumptum, nec existente animali, propterea necesse est, hominem existere. Secunda conditio est, vt alterum relatiuorum non sit causa alterius: vnde fit, solem, ac lucem ei debitam nequaquam esse simul ordine naturæ: nam tamen si vtriusque vnus sit ortus, & occasus, cæterum sol est causa lucis, radiorumque parens. Hoc attributum plurimis quidem conuenit relationibus: nam Dominus propriissime sumptus haud est, nisi per coniunctionem cum seruo; & si est seruus, existit eius Dominus, & è conuerso, sin autem pereat seruus, nullus eius est Dominus, & vice, vt aiunt, versa. Par autem est ratio Patris, & Filij, similibus, & dissimilibus, æqualium, & inæqualium, vbi respectus hi sumantur rigorose, ac terminum postulent existentem. Cæterum id attributi neutiquam conuenit omnibus relationibus: vt enim præteream memoratas relationes ita accipi posse, vt terminum non deposcant actua-lem, & suas extra causas, vtque ad id locum in eis neutiquam habeat naturæ simultas, ea certe haud videntur in scientia, & scibili, sensu, & sensibili: nam vt cap. 7. de relat. animaduertit Aristoteles existentibus scibili, aut sensibili, opus ob id non est eorum existere scientiam, aut sensum: vel retrorsum; nec item deficiente scientia, aut sensu deficere ob id scibile, aut sensibile. Nisi vero, quia nunc scitur futura eclipsis, ea propter id existere debeat modò: aut contra, quia non scitur, nec demonstrata est hæc quadratura circuli, ea propter id nequeat arte aliqua fieri, in actumue reduci. Item scibile, & sensibile scientiam, & sensum causant.

374 Quintum relationis prædicamentalis attributum est, vt eius extrema sint simul cognitione. Sextum, vt sint simul definitione. Sed de vtroque satis supra cap. 15. obiectione secunda, & tertia. Atque hæc de prædicamento ad aliquid.

TRACTATUS VII.

De sex vltimis Prædicamentis.

CAPITULUM I.

De Actione.

1 ACTIONEM definit Gilbertus Porretanus author sex principiorum, Secundum quam in id quod subijcitur dicimur agere. Suarez disputat. 48.

metaph. sect. 5. esse formam, qua principium actuum primo in actum reducitur. Rubius in prædicam. c. 9. num. 6. qua media, vt via, effectus recipit esse ab agente. Quæ & aliæ definitiones passim circumferri solitæ eodem recidunt, ac, si rectè intelligantur, sustineri possunt omnes.

2 Auerſa quæstione superius citata sectione secunda censet actionem (siqua est realiter indistincta à termino, & verbi gratia Angelus, aut animus, aut quæuis alia res facta per seipsam à Deo, habensque rationem dependentiæ cuiusdam essentialis, & fluxus sui ab eius omnipotentia; vitalisque qualitas seipsa à potentia dimanans & in ea resultans) haud esse in prædicamento actionis. Fallitur tamen, quoniam omne id, quod est vera, ac actio, est in huius genere, quo pacto omnis vera propria quantitas, & qualitas, est in prædicamento quantitatis, & sic de reliquis: ast actio, tamen si sit indistincta realiter à termino, nihilominus est propriè actio, vt sponte sua est manifestum, & à nemine, quem sciam, in dubium verum. Rursus talem actionem esse in aliquo alio prædicamento v.g. substantiæ, hæc, si sit seipsa producta, aut qualitatæ, si quæ est intentionalis, producit à potentia per seipsam, parum refert, etsi non parum præsidij in eo sibi esse puter is, à quo discedo: siquidem erit, vt illa sit in duobus prædicamentis, videlicet actionis, necnon eius, ad quod spectat terminus: qua in re nihil esse incommodi supra tract. 1. satis ostensum.

3 Alij apud Auerſam vbi supra negant, actionem creatiuam esse huius prædicamenti. Sed eodem, quo ipse argumento possunt, ac debent refelli. Tertio alij apud eundem docent, actionem, non solum physicam, sed etiam intentionalem, hoc est eam, qua non tam producit terminus, quam cognoscitur, amaturve, ad prædicamentum, quo de agimus, spectare. Immerito tamen, quemadmodum enim, quod non est vera substantia, quantitas, qualitas, &c. ad hæc genera nequit pertinere, ita nec ad prædicamentum actionis actio videndi, intelligendi, amandive, quarum qualibet est actio, non re, sed nomine, nec propriè, sed late, ac per metaphoram quandam: nisi vero, qui hominem aliquem videt, cognoscit, aut amat, eum strictè agit, & efficit. Non nego, actionem illam, quæ producit in sensu, aut intellectu imaginem obiecti, siue in voluntate pondus quoddam ad illud, esse prædicamentalem: hoc admittere nolim, ipsam qualitatem absolutam, quæ est imago obiecti, vel propensio in eius bonitatem, quantumuis vulgo appelletur actio quædam intentionalis, ad actionis attingere prædicamentum. Soncinas 9. metaph. q. 2. 1. ab hoc prædicamento relegat actiones instantaneas, nec non immanentes. Sed nullo iure, cum non minus sint verè, ac propriè actiones, quam quæ sunt successiuæ, & tranſeuntes.

4 Tandem Suarez disp. superius relata sect. 6 actiones substantiarum productiuas reuocat ad hoc prædicamentum attingere. Cuius potissimum fundamentum ex B. Thoma desumptum lib. 1. de generat. cap. 3. & de spiritali creatura art. 1. ad 9. & quæst. 21. de verit. art. 5. est tale. Si eiusmodi actiones essent cum accidentalibus in eodem prædicamento, siue supremo genere actionis, proculdubio vtræque conuenirent vniuocè in conceptu illo actionis: nisi vero genus non sit ratio vniuoca necessario, sed possit esse analoga: ast vti substantia, & accidentia non conueniunt vniuocè in ratione entis, ita neque eorum actiones in ratione actionis: eadem enim videtur esse vtrouique ratio. Contrarium, & ab ipso Suarez admittitur paulò infra, & est multis partibus probabilius:

lius: tum, quia actio substantialis fortasse dicitur talis, non, quia sit substantia, sed quia substantia productiva, de quo in loco: ea ergo, quaecunque sit, haud pertinet ad pradicamentum substantia: ergo alicuius accidentis: cuius autem, nisi actionis? quod enim dici solet, ad nullum eam genus attinere, frivolum est; idemque possemus de accidentali actione comminisci. Tum etiam: esto, sit substantia; quid inde? cum enim idem esse possit in pradicamento actionis, & passionis, cur non etiam in eius, & substantia: superfedeo multis aliis, quae simul sunt in duobus pradicamentis: de hoc enim supra saepe. Rursus actio substantialis est verè actio: quamvis enim aliqui putent generationem substantialem haud esse proprie actionem, sed praeiæ terminum alterationis, eorum tamen opinio est manifeste falsa: quidni ergo illa actio non minus, quam accidentalis sic in actionis pradicamento?

Contraria autem ratio non vrget. Quid enim? quod multi, & non improbabiler putant, ad genus supremum, huc pradicamentum haud requiri, ut sit uniuocum. Quid secundo? quod probabilius longè sit, substantiam, & accidens conuenire uniuoce in ratione entis? Quid tertio? quod eorum sit diuersa ratio, & quibus producantur actionum: non enim, ut substantia est prior accidenti, & hoc ab illa dependens immediate, & proxime, similis interuenit ordo inter eorum actiones: quamvis enim, quae terminatur ad accidens supponit substantiam, eiusque adeò productionem, aut mediata, & remota: quo etiam pacto substantia productio eam, quae terminatur ad accidens supponit; cum sit posterior dispositionibus accidentalibus in subiectum denuo introductis.

C A P V T II.

De passione.

Passio pradicamentalis primo sumi potest, ut perinde sit, atque quidpiam esse productum à suis causis, siue, quod eodem redit, est actio quatenus hanc tribuit denominationem: Colligitur ex Aristotele, & B. Thoma 3. physic. lect. 5. & Gilberto sic passionem definiente, *est effectus, & illatio actionis, secundum quam hac quidem patiuntur magis, illa uero minus*; necnon Rubio in pradicam. cap. 9. num. 7. sic eam definiente; *Passio est via, qua media effectus recipit esse ab agente*. Eadem acceptio passionis sumitur ex Aureolo in 1. distinct. 30. part. 1. art. 3. proposit. 1. & Scoto in 4. distinct. 13. quæst. 1. & quodlib. 11. Antonio Andrea lib. de sex principiis quæst. 9. & eius nationis aliis.

Cæterum cum respectum effectus ad causam suam negant esse passionem pradicamentalem Suarez disp. 49. metaph. sect. 1. num. 1. Auerſa quæst. 21. log. sect. 3. §. *secundo ergo* Cuius sententia fundamentum est, effectum esse productum attinere formaliter ad pradicamentum actionis: non ergo ad genus passionis potest spectare. Sed antecedens est falsum: nam causalitas quævis solum, prout denominat causam producentem, est in pradicam. actionis, non vero prout denominat effectum productum: quin potius ita est passio pradicamentalis. Scite, ut multa, B. Thomas opusculo 48. cap. 3. *licet actio, & passio, & forma, qua aliquid mouetur sint una res, tamen propter diuersam denominationem, quam importat, vel propter diuersum respectum importatum sunt diuersa pradicamenta*. Quibus R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. II.

verbis illustratur præcedens solutio, & alia patatur ei, qui obiceret, ex hac nostra passionis usurpatione fore ut idem reipſa simul in diuersis pradicamentis existeret.

Secundo sumi potest passio pradicamentalis, ut perinde sit, atque causalitas materialis, merito cuius subiectum recipit formam aliquam, & hæc ei inhaeret. Ita Rubio sic eam definiens ubi supra. *est via à qua subiectum dicitur pati per impressionem effectus ab agente*. Item Suarez, Hurtadus, Arriaga, & communiter nostri authores, & cum eis exterorum non pauci Refragatur tamen Auerſa quæst. & sect. supra citatis §. *quarto videri posset*: ibique negat inhaerentiam, ac receptionem in facto esse, quam nimirum passum erga formam exercet sublato agente, esse huius pradicamenti, quo de loquimur: Ea namque, inquit, est conditio vniuersalis cuiusvis accidentis, ac nullum non transcendens, haud ergo pertinet destinate ad pradicamentum passionis. Item album, verbi gratia in concreto pertinet ad pradicamentum qualitatit: ergo & inhaerentia, quæ in eo formalissime inuoluitur, quamvis ita non sit inuoluta in eius abstracto, videlicet albedine: iam ergo talis inhaerentia non spectat ad genus passionis.

Nihil horum vrget. Non primum, quia uti nullum accidens est, quod non refertur aliquorſum, quodve alteri non sit simile, aut dissimile, æquale, vel inæquale, &c. & nihilominus relatio constituit peculiare genus, ita similiter illud constituere, & in eo sedem hgere poterit inhaerentia, quanquam gratis permittatur, eam nullius non esse accidentis. Non secundum: siquidem inhaerentia in consortio albi, & prout eius constitutiva, adeoque indistincta quodammodo est in pradicamento qualitatit: at nude sumpta, ac prout distincta ab eo, quod est præcipuum in albo, nimirum eius forma est in genere passionis.

Tertio aliqui apud Auerſam ubi paulo supra volunt, passionem intentionalem, qua nimirum aliquid dicitur sentiri, intelligi, aut amari esse pradicamentalem. Sed iam in simili aduersus eos est actum.

Quarto nonnulli cum Fonteca 5. metaph. cap. 13. quæst. 1. sect. 5. ad 2. volunt denominationes extrinsecas, cuiusmodi sunt, verbi gratia, seruos pari vincula, milites arma, & vasa deaurata illudum eis aurum ad hoc genus, de quo est sermo, pertinere. Nullo tamen iure: nulla enim earum denominationum, aut similitum non spectat ad pradicamentum habitus, ut constabit in loco.

Quintò Auerſa solam passionem à subiecto, & termino distinctam concedit esse pradicamentalem, secus vero eam, quæ identificatur cum alterutro: Eodem autem vitur argumento, quo paulo supra, cum de actione meditaretur quidpiam simile. Eodemque etiam: quo supra, hic etiam est impugnandus argumentum. Ad extremum ab Aristot. & aliis duo potissime attribui solent actioni, & passioni, videlicet habere contrarium, & suscipere magis, & minus, ei autem fere sic conueniunt, uti relationi: quo autem pacto sint huius, declaratum est tract. super cap. postremo.

C A P V T III.

De ubi.

Vbi pradicamentale, ut in physica latius est explicatum, atque probatum, nil aliud est, quam locus cuiusque rei: Hinc enim est, ut perinde sit rem esse alicubi, atque esse in aliquo loco, vbiq; & in quocunque

cunque loco, nullibi, & in nullo loco. Neotoreci tamen, non locum, sed accidens quoddam, siue quem habet ad eum res locata respectum, censent esse vbi: Opponunt primo, tum Aristotelem in prædicam. c. 9. *vbi per hoc, quod esse in foro, in lycaeo explicantem; necnon Gilbertum illud deficientem ita, vbi est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proueniens: iuxta utrumque ergo vbi est præsentia rei in spatio loci: non ergo ipse locus: aliud enim est esse locum, aliud te esse præsentem loco. Obiiciunt secundo, locum esse quandam quantitatis speciem: quæ ergo nunc in prædicamento vbi constituitur?*

13 Nihil tamen est in his argumentis efficaciar, nihil ponderis. Primum ita dilues: uti partes sunt in supposito, non per aliam formam, quam per ipsum suppositum, siue totalitatem, cui insunt; ita etiam res dicuntur esse in loco per huncipsum. Ratio autem à priori est, quia locus rem sibi immobiliter affigit: rem ergo sibi unitam in se collocat: quamobrem quod vbi sit rem esse præsentem loco, iuxta Aristotelem, & Gilbertum, haud tollit, quominus illud sit ipse locus. Quid? quod Aristoteles pingui minerua, atque in transcurso voluit vbi explicare; Gilbertina vero definitio multis peccet de causis: nam vbi definitum haud comprehendit: haud etiam illud, quo, non corpora, sed eorum formæ, vel substantiales, vel accidentariæ sunt in loco: haud denique, quo locatur spiritus.

14 Secundum argumentum ita dilues iuxta dicta à nobis superius tract. 4. cap. 5. locus bifariam potest vsurpari: primo, ut habet extensionem quandam partium partibus rei locatæ commensuram: atque ita est quædam quantitatis species, eaque vera, & non adumbrata: secundo prout rem hinc v.g. aut illic immobiliter affigit: & sic est vbi prædicamentale. & neutiquam spectat ad genus quantitatis. Hoc pacto conciliari possunt, si velint, & qui locum negant esse quantitatem, videlicet B. Thomas, Auerroes, Suarez, Fonseca, & Conimbricenses; & qui id affirmant, ut Platonici apud simplicium, Galenus apud Themistum, Philoponus, Tolerus, & Sorus. Autoribus priori loco memoratis fauere videtur Arist. 5. met. c. 1. 3. & posterius recensitis 4. physicorum cap. 4. & in prædicamentis cap. 6. Sed superiori adhibita distinctione secum ipso facile potest in concordiam redigi.

15 Vbi ergo, siue spatium loci, aliud est reale, aliud imaginarium: hoc est ens solius rationis, & nec habet esse, nec potest habere; perinde tamen à nobis concipitur, ac, si eo esset præditum; idque ut melius explicemus extensionem, situm, & distantiam vbitarum verarum ac realium; quæ esse maiores, aut minores, hic, aut alibi sitæ, distantes plus, minusve vulgo iudicari solent, prout eiusmodi affectiones conueniunt ei, quod replent intervallo; imaginario quidem, & quod, etsi apprehendatur à nobis æternum, & mundo condito antèrius, est tamen reuera nihil, ut dictum est paulo supra.

16 Vbi, seu spatium loci reale, aliud est intrinsecum, quod videlicet rei vnitur, in eaque producit per motum localem, huic si sit obnoxia: vnde fortassis ortum est, quod, vel inter non philosophos dici consuevit spatium tot leucarum v.g. tanto tempore confici, vel peragi. Aliud vero est extrinsecum, quod definitur ab Aristotele 4. phys. superficies corporis ambientis: quæ definitio rebus omnibus sub luna cauo contentis quadat; quin etiam caelestium orbium singulis, & singulorum etiã superficibus, ea sola dempta, quæ supremi celi dorsum infinita quadã circuit ambicione: Hanc enim nihil ambit, nihil est extra: qua quoque de causa Deus haud est in loco extrinsecò.

17 Vbi, siue loci spatium reale rursus, aliud est cir-

cumscriptionum, quo videlicet vna pars rei in vna loci, & alia constituitur in aliã, non vero quæuis in quacunque; quo fit quidem, ut vna superficies rei locatæ cæteras à se distinctas circumscribat, & ambiat: Vbi vero definitum est, quo tota res in toto spatio, & tota in qualibet eius parte ponitur; at ibi definite, & non alicubi. Immensum vero est, quo res est vbi que, & sine termino, aut mensu. Priori modo locantur creaturæ corporeæ: secundo modo incorporeæ: tertio corporum, ac spirituum creator. Sed quid de præsentia, qua res spiritualis sit diuinitus in duplici loco adæquato? Fonseca l. 5. met. c. 1. 5. q. 9. sect. 2. *§. sed, ut obiter moneam, docet eam esse mediam inter triplicem à nobis assignatam, & ab eis diuersæ rationis: contra vero id negat Auerſa q. 21. log. sect. 4. & merito: nam ita esset spiritus ille in quouis eorum locorum, ut non esset alibi naturaliter, ac citra miraculum: vtrumlibet ergo eius vbi seorsim ab alio sumptum esset definitum huius definitio si rectè explicetur. Deinde, etsi spiritus ille in duobus locis adæquatis constitutus non ita esset in eorum alterutro, ut non esset absolute alibi; ita tamen foret in ambobus, ut nullibi ulterius: proinde vtrumque vbi, saltem collectiue sumptum esset definitum: id, quod paulo post fatetur ipse Fonseca in hæc verba: *quantum quia certus locorum numerus, si res simul sit in omnibus pro uno loco haberi potest; poterit illa dici in omnibus simul acceptis definitiue esse, quia non sit in alio ab illis.* Hactenus ille. Quod autem de spiritu eo dixi, id de Christo prout sacramentaliter in diuersis locis, ac sub diuersis speciebus dictum puta.*

18 Rursus vbi, aliud est eorum, aliud spirituum: quæ, an sint ambo in hoc prædicamento, dubitari consuevit inter autores: Solum vbi corporeum esse prædicamentale tueretur Sanchez in log. quæst. 7. 5. & plures alij Thomistæ, atque cum eis Gilbertus vbi supra. Contra vero, tum corporum, tum etiam spirituum vbi esse huius prædicamenti, docet Fonseca lib. 5. met. c. 1. 5. q. 9. & multi cum eo Scotistæ. Ego distinguendum arbitror prædicamentum vbi in physicum, ac metaphysicum: hoc latius funditur, & comprehendit vbitatem, & corporum, & spirituum: imò etiam Dei ipsius: illud arctius est, & solum corporum vbitatem cohibet. Ita superius tract. 2. cap. 5. statutum est à nobis, corpora sola esse in prædicamento substantiæ physicè vsurpato, & tum illa, tum etiam spiritus esse in eo metaphysicè, & fusius sumpto: Ita etiam tract. 4. cap. 7. in solut. quartæ difficult. decretum est à nobis, quantitatem numericam, & discretam bifariam sumi posse: primo propriissime; & ita excludere spiritus, & solum admittere corpora: secundo proprie, etsi non tantundem; atque sic completi, tum corpora, tum etiam res incorporeas. Similiter ergo in præsentia, &c. Quocirca posterior sententia rectè explicata, & quadam moderatione adhibita, duplicique prædicamenti distinctione facta, est longe verior. Qui tamen sequuntur priorem, obiiciunt; spiritus esse in loco per operationem eorum; ergo præsentia localis attinet, inquirunt, ad prædicamentum actionis, non ergo ad vbi prædicamentale. Verum antecedens fortasse falsum est, & certè ab vniuersa Scottistarum negatur familia: quidquid autem de eo sit, secunda consequentia haud valet: cum enim idem esse possit simul in diuersis generibus, quidni operatio Angelica, alteriusve spiritus esse possit in prædicamento actionis, necnon in prædicamento vbi, si quæ corpore vacant, nisi operando nequeunt esse in loco, aut existere alicubi.

19 Iam vbi, siue spatium loci duo solent attributa assignari. Primum est, non suscipere magis, & minus dic-
citur

gitur enim res esse in maiori loco, & in minori non tamen magis, & minus esse in loco, quā alia. Secundum est, non habere contrarium. At inquires, quo iure superius tract. 4. cap. 9. in solut. 4. argumenti constitutum à nobis est, vbi, siue locum supremum, & infimum, prout spectant ad hoc prædicamentum, quo de agimus, contrariari inuicem, videlicet, quia eadem res nequit utroque simul affici, potest tamen ex intervallo. Respondeo, locum bifariam sumi posse, & debere: primo prout res est in illo, eique immobiliter adheret; ita autem non est contrarietati obnoxius: secundo prout est accidens quoddam rei locatæ, ei inhaerens, & cum alio impossibile; & sic contrarietatem admittit.

- 20 Eodem fermè recidunt vbi prædicamentale, & vbi catio. Probabile tamen arbitror, hanc non esse locum, aut vbi, sed vñionem rei cum illo, vel quod perinde est, inhaerentiam loci, quandamque passionem: de quo latius in Physica.

CAPVT IV.

De Quando.

- 21 **Q**uamquam non parum differant vbi, & quando, quæ est huius successio, & illius stabilitas; cæterum magna est utriusque vicinitas, ac proportio. Sicut enim vbi est cuiusque rei locus, ita quando est cuiuslibet tempus: hinc est, vt rem esse aliquando, sit perinde, ac eam esse in aliquo tempore, & quandocunque, ac esse in quocunque, siue omni tempore, & nunquam, siue nequando, atque in nullo tempore. Nihil autem refert, quod obiciunt primo neoterici contra sentientes, quando explicari ab Aristotele cap. 4. prædicamentorum per esse *heri, superiori anno*, & à Gilberto in lib. 6. principiorum per hoc, quod sit id, *quod ex adiacentia temporis relinquitur*: quare magis esse, vt sit existentia rei in tempore, siue cuiusdam præsentia respectus ad illud, quam tempus ipsum. Siquidem esto *quando* sit eiusmodi præsentia, siue coexistentia, potest nihilominus, ac debet esse tempus ipsum, cui res est præsens, atque coexistens; huius enim denominationis, non alia est causa formalis, vt in Physica declaravi, utque in simili perstrictum est cap. superiori, cum esset sermo de vbi prædicamentali.

- 22 Non magis ponderosum est, quod iidem recentiores secundo opponunt; tempus videlicet esse quantitatem prædicamentalem, haud ergo esse posse prædicamentum quando, aut hoc illud: liquidem tempus prout habet partes quasdam diuisibiles spectat ad quantitatem; prout vero est quidpiam immobile, & rem nunc destinare constituit, ad prædicamentum quando. Atque hoc pacto possunt conciliari authores, qui negant, tempus esse speciem quantitatis, & qui id affirmant. Vt autem supra visum est tract. 4. cap. 5. ad finem sententia negantis sunt Caietanus, Soncinas Atauio, Ioannes à S. Thoma, Gilius Hurradus, Peterius, Vasquez, & Suarez. Opiniones verò affirmantis sunt contra Cardinal. Tolet, Valium, Rubium, Fonseca, Bartholomæum Amicum, Tellez, Molinam, Auerroes; item Iauellus, Flandria, & Dominicus Sotus.

- 23 Explicato tempore, siue quando, reliquum est, vt illud distribuamus. Quando ergo, aliud est reale, aliud imaginarium. Hoc est ens rationis, quo vitmur, & non absque operæ prætio ad realium durationum naturas distantias, & quantitates explicandas: quod enim aliqua duratio sit nunc, & non antea, vel po-

R. P. Richard Lyncei, Philosoph. Tom. III.

stea; quod item inter vnā, & alteram plus, vel minus intersit; quod denique altera sit magis extensa, & protracta altera è diuerso contractior, & minor, quomodo melius declarari potest, quam per intervallo imaginarium, & ficticiam distensionem, cui coexistunt?

Quando reale, aliud est intrinsecum, quoddam videlicet accidens fluxum, & successuum à cuius vnīs partibus deuoluitur continuo res ad alias; siue cuius partes fluunt continuo, labunturque, & res in illis; huiusmodi autem accidens est terminus conseruationis, sicut vbi intrinsecum terminat morum ationis: vt enim quo plura vbi acquiruntur denuo, eo motus localis rei est diutior, vel celeritate diuturnitatem compensans, ita quo plura tempora, siue quando intrinseca quauis res peragit, siue quo pluribus coexistit, ac de aliis rotatur in alia, eo plus conseruatur suo in esse, quod primum nata est.

24 Quando extrinsecum est tempus extrinsecum, quo videlicet alterius rei duratio mensuratur; quamuis autem cuiuscumque motus, aut etiam rei permanentis tempus intrinsecum ita comparatum sit & suapte natura, vt possit esse extrinsecum respectu alicuius alterius rei prout est aptum eam mensurare cæterum, quæ est motuum cælestium perpetuitas, constantia, & vniformitas; quæ item velocitas, quæ denique vniuersalitas, & vbique gentium, atque terrarum notissima vicissitudo; eorum ob hæc tempus est aptissima quarumvis durationum mensura: adeoque per antonomasiam dici consuevit tempus extrinsecum: quo etiam facit, illud esse longè præcellentius cæteris omnibus, quibus fugiunt, transeuntque fluminis instar res sublunares, & corruptioni subiectæ. Vide dicta superius tract. 4. cap. 5. & 8. ad vtriusque finem.

25 Rursus quando, aliud est vtrinque finitum, quod nimirum habet principium, & finem, estque rerum corruptibile, & corporearum proprium. Aliud vero vna sui parte finitum, & altera infinitum, quod videlicet incepit, numquam tamen desinet, & ante non fuit, postea tamen semper erit, aut è conuerso: estque animarum rationalium, & Angelorum proprium. Aliud tandem vtrinque infinitum, quod scilicet principio caret, & fine, ac semper est, fuit, & erit: Deoque soli conuenit. Primum *quando* vocatur propriissime tempus, atque ad illud eleganter respexit Naso Fast. 6.

*Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt frano non remorante dies.*

Secundum quando appellari solet æuum idque tametsi Epicureorum grex negarit, cæteri tamen gentilium philosophorum, ne quid dicam de Christianis assequuti sunt, quorum ex mente rectè Propertius 4. 7.

*Sunt aliquid manes, Lethum non omnia finit,
Luridaque euictos effugit umbrarogor.*

Tertium verò dici consuevit æternitas, quam, vel de astris suis ethnici concessere: adeo inter antiquas illas Gentilissimi tenebras nonnulla eius lux inclauit.

26 His constitutis, eundem est obuiam dubiis nonnullis. Primum est, an coexistere rem tempori intrinseco spectet ad prædicamentum quando? Respondebis affirmatiue: nam tempus ipsum intrinsecum huius est prædicamenti, vt paulo supra declaratum: atqui res est in tempore intrinseco per hoc ipsum: esse ergo in tempore intrinseco, eique coexistere, est in hoc prædicamento. Rursus non solum albedo verbi gratia sed album, siue habere albedinem est in genere qualitatis, vt supra manet ostensum

tractatu 1. cap. 1. & 2. similiter ergo, non solum tempus, sed etiam habere tempus sibi inhærens, eique intimè coexistere erit in predicamento quando.

27 Huic doctrinæ id tantum ob stare potest, in illa supponi tempus intrinsecum rei ab eius entitate distingui: quo enim pacto dicitur res coexistere tempori intrinseco, ad illudque realiter referri, nisi sit ab eo realiter distincta? At huiusmodi distinctionem nullam esse, ac reiiciendam velut commentitiam, censent D. Thom. Capreol. Caietan. Soncin. & eius factionis plerique alij, item cum Scoto passim eius asseclæ: & ex nostris Suarez, Valquez, Molina, Valentia, ac Benedictus Pereira, & alij plures. Verum enim etsi tot, tantique autores negent, durationem rei vllius, quodve consumit ea tempus, aut quam trahit moram, esse accidens aliquod intrinsecum realiter aliud à rei durantis existentia, sed potius hanc ipsam, & nihil vltius; cæterum contrarium est verissimilius, idque tuentur Bonaventura, Argentinas, Mairon, Henricus, Iauellus, Richardus de media Villa, Bannes, Conimbricenses, Rubius, & Arriaga à nobis laudati in Physica.

28 Et quidem res potest existere, quin hodie, verbi gratia haud ergo beneficio existentia solius habet, quod sit hodie: ergo ab accidenti aliquo intrinseco, quod nuncupatur tempus: quo pacto iuxta plerisque aduersariorum, quia res existere potest, quin hic, verbi gratia, sed alicubi, quod hic sit, est effectus formalis alicuius accidentis intrinseci, quod ubi, siue locus solet appellari. Dices, rem esse hodie, nil aliud esse, quam eius existentiam, & tempus hodiernum, extrinsecum quidem, & rei minime inhærens; quare nullam esse necessitatem temporis intrinseci ab existentia distincti, eique supercrefcentis: ita Ochamus, Gabriel, ac cæteri ferme Nominales: atque ex nostris Petrus Hurtado, & complures Neoterici:

29 Contra tamen: quia, aut sermo est de tempore extrinseco imaginario, &, quod noster figurat intellectus: atque ita fiet, vt res neutiquam esse possit hodie, aut perendie sine intellectus fictione, quo tamen nil fingi potest magis absurdum: aut sermo potius est de tempore extrinseco reali cælorum dum rotantur, alteriue rei proprio: atque hoc haud magis satisfacit: nam esto præter Petrum v. g. nihil existeret, ac cætera omnia non forent à Deo creata, vel certè post eorum creationem redigerentur ad nihilum, ille nihilominus duraret, & conseruaretur à Deo optimo Maximo: ast non merito alicuius extrinseci temporis, quippe quod tamen nullum esset: alicuius ergo intrinseci. Sed de his ex professo, & pro dignitate in Physica.

30 Secundum dubium esto, an coexistere tempori extrinseco reali sit species quædam predicamenti quando? Affirmat Auerla quæst. 22. log. sect. 6. §. & dicendum est. vbi pro se refert Aristotelem, Gilbertum, & B. Thomam. Contra vero id negant Conimbricenses tom. 1. log. in prædic. cap. 9. quæst. 3. art. 1. §. quare ad fundamenta; ibique solas durationes intrinsecas, siue coexistere rem aliquam tempori intrinseco in hoc constituunt predicamento. Prior sententia magis placet: nam rem aliquam coexistere alteri; eamque dum durat comitari, est vnius, & alterius intrinsecum tempus: Ecquid enim nisi complexio durationum suapte natura indistantium res, quas intrinsecè efficiunt, coexistere facit inuicem, & alteram esse in tempore extrinseco alterius? Ast tempus intrinsecum, siue vnum, siue multiplex, est in genere quando: ergo & alteram esse communem tempori extrinseco alterius.

31 Huic tamen doctrinæ difficultatem facessit P. Suarez disp. 50. metaph. sect. 12. num. 18. ita inueniens; *affectio intrinseca, & denominatio extrinseca plus, quam genere differunt: quare non possunt per se ad idem predicamentum pertinere*: Tum hic: esse rem in tempore intrinseco, & coexistere tempori extrinseco, ita instituta sunt, vt prior denominatio sit intrinseca, & posterior extrinseca: haud ergo spectant ad idem predicamentum: prior autem attinet ad predicamentum quando, vt paulò supra visum: non ergo posterior. Raphael Auerla loco super memorato negat, denominationem, qua res dicitur coexistens tempori intrinseco, & instar accidentis sibi superaddito huius esse generis, quo de loquimur: idem negant quotquot eiusmodi renuunt coexistentiam; qui autem hi sunt, haud ita pridem ostensum. Hac quidem admissa sententia, nulla esset argumenti vis: sed iam est satis, cumulateque impugnata. Quapropter facilius, & verius dissoluitur difficultas negato eo discrimine generico, & predicamentali, quod inter denominationem intrinsecam, & extrinsecam statuitur.

32 Quam enim parum solidum sit, cernere est, primo in relationibus realibus; & veris, quas omnes probabile est ad genus ad aliquid attinere, cum tamen quædam intrinsecus adueniant, vt cognitio, amor, actio, passio; alia vero extrinsecus, vt similitudo, dissimilitudo, æqualitas, inæqualitas, paternitas, filiaritas, &c. Secundo in denominatione producentis, & denominatione producti, quarum prior est intrinseca, & posterior extrinseca, vel certè è conuerso: & tamen ambæ spectant iuxta Patrem Suarez, & alios aduersarios ad idem predicamentum actionis, non vero vna ad hoc, & alia ad genus passionis, vt à nobis est supra capite secundo constitutum. Denique in concretis cognitionis, & amoris, videlicet denominatione cognoscentis, & amantis hinc, & cogniti, & amati illinc, quæ non minus, quam abstracta spectant ad predicamentum qualitatis, quamuis sit non improbabile, ea quoque spectare simul ad genus relationis: Et tamen altera denominatio est intrinseca, & altera extrinseca.

33 Tertium dubium est, an coexistere tempori imaginario pertineat ad hoc predicamentum? Affirmat Fonseca libro 5. metaph. capite 15. quæstione 10. sectione 2. conclus. 3. Negat Auerla quæstione 21. log. sect. 6. paulo ante medium. Lis est parui momenti, quam adeo breuiter discepto hunc in modum. Coexistentia tempori imaginario, aut ab hoc solo sumitur, quo pacto denominat rem coexistentem tempori intrinseco hoc solum; atque ita nequit ea esse huius predicamenti, aut alterius: quod enim est parum putumque ens rationis, & merum figmentum, iuxta omnes est præter omne predicamentum, & genus. Aut ea sumitur partim à tempore reali intrinseco, & partim à tempore imaginario, & ab illo magis principaliter, quam ab hoc: qua ratione paulo supra constitutum est coexistere rem tempori extrinseco reali, tum ab isto, tum etiam à tempore intrinseco velut à duabus formis proficisci: & sic eiusmodi coexistentia potest, ac debet ad genus quando pertinere: vt enim tract. superiori cap. 20. ad eius finem, & alibi sæpe demonstratum est, haud oportet, vt aliquid sit in predicamento, quod sit ex toto ens reale, sed satis, si quadantenus: haud consequenter interest, quod sit non ens, siue ens rationis, tale si sit non omnino, sed aliqua ex parte, eaque minus principali.

Quantum

34 Quattum dubium est, an duntaxat tempus vtrunque finitum, & propriissime dictum sit huius generis, vel insuper æuum, & æternitas, quorum hæc omnino, illud vero quadam duntaxat ex parte finem respuit? Solum tempus prout ab æuo, & æternitate distinctum huius esse prædicamenti, docent Fonseca nuper memorata sect. 2. conclus. 1. Masius quaestione 4. de 6. prædicamentis, Beatus Thomas opusc. 48. tract. de quando cap. 3. At P. Suarez supra disput. 50. metaph. sect. 12. num. 22. tum tempus, tum etiam æuum, omnemque, quod perinde est, durationem creatam huic assignat prædicamento, & solam ab eo relegat æternitatem. Hanc vero, & cum ea æuum, non minus, quam tempus in genere quando esse, docet Magnus Albertus lib. de sex principiis tract. 4. Ego, ut mihi moris est, distinguendum arbitror prædicamentum quando in physicum, & metaphysicum: hoc complectitur omnem durationem creatam, & incretam, infinitam vtrinque, aut aliqua, ver omni ex parte finitam: illud autem, vel solum tempus, vel si si mauis, etiam æuum. Vide dicta cap. superiori inter diuidendum ubi in corporeum, & illud, quo locantur spiritus.

35 Verum enim obicies: æternitas haud est distincta reipsa à Deo, cui conuenit. Deus ergo, cum sit extra omne prædicamentum, qui non, & eius æternitas, ac nunquam cessatura duratio: Item inter conditiones entis prædicamentalis vna est, ut sit quidpiam finitum, ut est in illo vulgari hemistichio *finita, realia, tota*; æternitas ergo, quæ vtrinque infinita, quo pacto esse poterit in prædicamento quando? imo en in eo esse posse videtur æuum, quod saltem aliqua ex parte finem admittit, illoque coercetur. Rursus animarum, & Angelorum proprium ab eorum existentis substantialibus haud est distinctum: quin etiam tempus rerum permanentium hominum verbi gratia, & aliarum substantiarum ab eis minime distinguitur: alterutra ergo duratio est in prædicamento substantiæ: non ergo in genere quando: quo fortasse argumento ductus Beatus Thomas ubi paulo supra docet, haud omne tempus esse huius prædicamenti, quo de loquimur, sed solum illud, quod peragunt actus, motusve accidentales successiue labentes, & sese expicientes inuicem; istud enim duntaxat est accidens, adeoque aptum, ut prædicamentum, quando, constituat.

36 Cæterum his respondere non est arduum, aut difficile. Namque Deum esse in prædicamento, sin minus physico, ac certe metaphysico, visum est supra tract. 1. huius libri: contrarium ergo iniuria sumitur in argumento, ut inde æternitatem esse extra prædicamentum, quando, colligatur. Quidquid autem sit de æternitate diuina, nil certe valet ratio contraria in æternitate creata, quam scilicet perageret per miraculum animus aliquis rationalis, ante omne tempus, & æuum, à Deo conditus, & nunquam ab eo destruendus. Rursus quod quævis æternitas sit infinita, vtrinque, parum refert: finitas enim solius prædicamenti physici conditio est, nec ad metaphysicum extendenda. Hinc constat, quid sit dicendum de infinitate æui, quæ certe minor est, quam æternitatis, nec nisi secundum quid duntaxat. Adice, denominationem haud raro sequi partem debiliorem: magis ergo esse, ut æuum sit in prædicamento, quia est finitum, quam extra illud, quia est infinitum quodammodo.

37 Denique æuum, & tempus esse indistincta à substantiis, quas faciunt perdurare, falsum est, ut probatum latè in Physica. Est tamen verum: quid R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

inde? an non idem esse potest in diuersis prædicamentis, alio scilicet, alioque respectu, ut sapissime dictum? quod ergo æuum, & tempus sint in prædicamento substantiæ, prout videlicet sunt entia per se, non tollit, quominus sint ex æquo in genere quando, quatenus scilicet rem nunc, tunc postea, antea, aut alias constituunt.

38 Quintum dubium est, an verum sit quod hæcenus est à nobis suppositum, dari nimirum prædicamentum temporis, siue quando propriè tale, & non fuscè, ac per metaphoram quandam? Scotus enim apud Fonsecam, Suarez, & Auerfam id negat, censens videlicet, tempus prædicamentale dictum, haud propterea esse strictè prædicamentum, aut genus, sed speciem infimam, quæ diuiditur in præsens, præteritum, & futurum. Fonseca supra q. 10. sect. 3. ad finem longius progreditur, atque; *in his sex vltimis generibus, nec vera ratio generum, aut specierum, nec accurata prædicamenti ratio magnopere exquirenda*: quibus verbis quando, siue tempus speciem esse negat, ne dum genus esse concedit, eademque regula sex vltima prædicamenta comprehendit.

39 Huic tamen doctrinæ non accedo quoad priorem eius partem, nec quoad posteriorem. Non: quoad illam Scoto, & affectis placitam: quoniam species omnis est prædicabilis de solis indiuiduis, non de rationibus communibus, & abstractis: est præteritum, præsens, & futurum tempus sunt rationes communes: haud ergo respectu illorum tempus est species: maior est indubia: minor probatur: namque aliud est præteritè heri, aliud nudiustertius, aliud nudiusquartus, quintus, aut sextus: aliud priore anno: aliud superiore sæculo: par autem est ratio præsentis temporis, necnon futuri: huiusmodi ergo temporis discrimina haud sunt indiuidua, sed rationes vniuersales. Item tempus propriissime dictum, æuum, & æternitas, an non sunt rationes communes? illud enim subdiuidi potest in tempus, quod decimum calum consumit, & quod inferiores sphaeræ motabiles, & quod denique corpora sublunaria: secundum vero in id, quod Angeli, & in id, quod animi nostri traducunt: tertia vero in æternitatem creatam, atque incretam: qui ergo fieri potest, ut tempus latissime fuscum sit species infima intuitu eius, quod strictius est, necnon æui, & æternitatis? Præterea species est quod prædicatur de pluribus solo numero differentibus inquit: at præteritum, præsens, & futurum plusquam numero differunt, magisque certè, quam esse præteritum v.g. Petrum, & præteritè Paulum, præsertim, si ambo simul sunt extincti: Tempus quoque, æuum, & æternitas haud sunt durationis homogeneæ, cum earum quævis à quacunque plus dissideat quam, vel vnum tempus ab alio, æuum ab æuo, aut ab æternitate æternitas alia.

40 Hinc est impugnatum facilis altera eiusdem doctrinæ pars, quam diximus placuisse Fonscæ. Siquidem genus est quod prædicatur de pluribus specie, aut quod perinde est, plusquam numero differentibus in quid: eiusmodi autem est quando, siue tempus latè dictum respectu suorum inferiorum, ut iam visum. Deinde illud, eorum intuitu haud est species, ut probatum: haud differentia, proprium, vel accedens, ut certo certius: quidni ergo genus? sunt enim qui præter hæc quinque vniuersalia aliud minimè admittunt: quamuis autem alibi fortasse possit admitti, at quæ est eius in præsentis necessitas, quæ oro utilitas?

41 Quando prædicamentalis duo sunt attributa, videlicet haud suscipere magis, & minus, haud etià habere

contrarium: quæ quatenus ei conueniant, in simili dictum est ad finem capitis superioris, cum esset sermo de vbi, siue spatio loci. Ad extremum est probabile, quando prædicamentale haud distingui à duratione: sed nec est improbable quando esse duntaxat tempus intrinsecum; huius verò vnionem cum re temporata, vt sic dicam, esse durationem, quo pacto, vt verisimile constitutum à nobis est supra, locum cuiuslibet rei esse eius vbi, vnionem vero rei locatæ cum spatio loci, vnionem, inquam, aut inhaesionis aut identitatis esse vbicationem.

CAPVT V.

De situ.

42 **S**ITVS triplicem habet significationem. Primò namque sumitur pro qualitate illa, quæ postulat, vt homo v.g. partes taliter dispositas, atque in loco constitutas habeat, siue eiusmodi qualitas sit vna simplex, siue, quod probabilius est, complexio quædam primarum qualitatum: atque in hoc sensu situs, non ad hoc prædicamentum, sed potius ad qualitatis genus attinet. Secundò accipi solet situs pro vbi, quo res in tali loco constituitur, talemque distantiam habet in ordine ad polos mundi: qua ratione res mutato loco dicitur mutare situm, quia tamen si partes suas eodem modo, ac antea dispositas habeat, comparatione tamen facta ad polos mundi eandem, quam antea distantiam non retinet, sed vel maiorem, vel minorem acquirit: atque in hoc sensu situs ad prædicamentum vbi spectat.

43 Tertiò vsurpari consuevit situs pro vbi, non qualicumque, sed eius genij, vt per illud partes rei aliæ extra alias in loco constituuntur certo quodam modo, ac definito ordine, vt hominem sedere, cubare, stare, &c. Cum enim homo sedet, gratia sessionis partes eius superiores, & partes inferiores diuersis in locis existunt, & hæ obliquarum vbi habent, atque inferiorem sortiuntur locum; contra vero illæ rectum vbi, ac locum superiorem. Quapropter, vt adnotant Conimbricenses 1. p. Log. in caput 9. prædicam. q. 2. art. 1. Situs prædicamentalis, & vbi prædicamentale non distinguuntur realiter, sed tantum ratione nostra, & velut inferius, ac superius, vt homo, & animal: situs enim est tale vbi.

44 Hinc intelligi potest, quidnam sit forma artificialis, siue figura, qua aurum v.g. prius rude, & informe postea eruditur, & calix efficitur: nihil etenim est, quam situs partium calicis, non vbicatio, sed qualitatiue sumptus, necnon carentia aliarum partium, quæ priorum canitates, sinusque obstruant, rectitudinem aut curuitatem tollant, ingeniumque, & artificium confundant. Quod forma, ac figura calicis sit eius situs, qualitatiue sumptus, siue qualitas illa, ac durities aut propria, qua postulat, vt partes suæ eandem inuicem distantiam, ac indistantiam, eandem dispositionem localem, ab artifice semel acceptam postea retineant, nec instar aquæ dilabuntur, ac fluant, hoc, inquam, probatur: tum, quia est expressa Aristotelis sententia capite octauo de qualitate text. 4. *Quarritum qualitatis genus est figura, & ea quæ circa vnumquodque est forma, & insuper latitudo, & curuitas, & quidquid est. Hisce simile; horum enim vnoquoque quale quippiam dicitur*: Tum etiam, quia, si (quod multi recentiores tuentur) forma artificialis calicis v.g. non in qualitate, sed in vbi partium consisteret, certè quotiescunq; moueretur calix, & de loco mutaretur in locum, simul etiam cum suo vbi for-

mam artificialem variaret, diuersusque numero calix esset, ac proinde noua consecratione indigeret: contra sequens autem est ridiculum. Quod verò carentia partium vltiorum formam artificialem constituat, ex eo constat, quod artifex non solum adiectione, sed etiam sapissime detractione partium materiam informet.

45 Qui formam artificialem non ad genus qualitatis, sed ad hoc prædicamentum reuocant, non vno omnes modo sententiam explicant suam. Alij namque docent, formam artificialem calicis esse hanc numero vbicationem circumscriptiuam, ac sitiualem illius, & proinde in diuersis locis calicem esse numero diuersum; ac sine noua consecratione ad sacrificium Missæ adhiberi posse, eo nimirum, quod moraliter idem sit, partesque eius eodem modo vtrobique distent. Alij vero docent, hanc numero formam artificialem esse hanc, vel illam vbicationem rei indeterminate sumptam, ac proinde calicem, cum de loco mutatur in locum, eandem numero formam artificialem retinere, nec diuersum numero calicem esse, quam erat antea.

46 Cæterum prior opinio planè est in verisimilis, & vel ex ipsis terminis supra fidem. Posterior autè est à me fusè impugnata lib. 2. Physicæ, cum egi de distinctione totius à partibus. In præsentia satis sit, eam ita in transcurso refellere: si idem numero ens artificiale calix v.g. per hanc, vel illam formam artificialem indeterminate sumptam posset constitui, certè quicquid in rerum vniuersitate existit vnum numero ens esse posset, nimirum, si indeterminatio longius protrahatur; ac dicatur illud ens, quod præter non esset aliud inuenire, esse, vel Angelum, vel hominem, vel equum, vel leonem, vel lapidem, vel lignum, vel aliud quidpiam. Rursus si non esset possibilis, nisi vna sola forma artificialis, ea sanè sufficeret ad hunc numero calicem constituendum: quorsum ergo, vt modò constituitur ad plurius recurritur indeterminationem.

CAPVT VI.

De Habitu.

47 **P**RÆDICAMENTORVM seriem claudit habitus. Aduersus quem, vt melius intelligatur, obiciet primò: habere essentiam, siue existentiam, per se est substantia; habere quantitatem est quantum; qualitatem, quale, &c. Habitus ergo, siue habere est conditio transcendens omne prædicamentum: haud ergo quoddam speciale constituit. Secundò: habitus numeratur ab Aristotele cap. de qualitate inter huius species: qualitatis ergo ad genus pertinet, ac proinde non aliud efficit diuersum. Tertiò, habitus vti est esse vestitum, vel armatum, aut est modus realiter distinctus ab armis, ac vestibus, eoque, cui circumponuntur; & hoc dici nequit, cum videatur intelligibilis talis modus, eoque circumscripto additaque ad summam relatione præsentia, & contactus cuiusdam possit homo denominationes illas subire: aut est denominatio tantum extrinseca in homine & quibus vestitur, armaturæ sibi circumpositis sita; atque ita est ens quoddam per accidens, adeoque non prædicamentale; huius enim de ratione est, vt sit ens per se.

48 Quartò, cumnam esse vestitum, & armatum constituat peculiare genus, & non esse dentatū, vngulatū, capillatum, &c. Aut quid est, quapropter ornamenta artis sint in prædicamento, & non ea, quæ nobis natura contulit. Atqui posteriores denominationes non sunt

sunt in prædicamento aliquo sibi speciali : ergo nec priores. Quintò : ubi esse vestitum, armatum sit prædicamentum quoddam, nuncupari solitum habitus, illud etiam sit necesse est vestis ipsa, necnon arma : quar ætione haud solū album, v.g. sed multo maxime albedo est in genere qualitatis : at vestis, & arma non sunt prædicamentum habitus : aut enim merito solius substantiæ ; & hoc falsum ; ita namque sunt in genere substantiæ : aut beneficio formæ artificialis ; & hoc haud magis verum ; sic enim constitui debent in prædicamento qualitatis , vt paulò superius visum ; aut munere aggregati, siue complexio- nis, tum substantiæ, tum etiam formæ artificialis ; & hoc pariter falsum, atque ab omni colore veri alienum : siquidem eius aggregati vna pars cum sit substantia, & alia qualitas, vtriusque complexio est potius in duplici genere, quam in vno Peculiari,

49 Sexto vel denominatione huius prædicamenti propria conuenit hominibus solis, vel etiam belluis, aut rebus etiam inanimis : neutrum autem defendi potest sine difficultate : omnis ergo vt aboleatur, genus hoc de medio tollendum. Et quidem illud reiciunt neoterici aliqui suppressis nominibus à Rubio impresentiarum relati, quibus prelusisse videtur Fonseca 5. metaph. cap. 7. quæst. 2. sect. 5. ad 4. inquit, *Prædicamentum habendi magis accommodare ad popularem sensum, quam ad philosophicam considerationem in prædicamentorum numero censeri.*

50 Harum solutio difficultatum lucem haud medio- crem adhibebit habitui. Ad primam dicendum est primo : quemadmodum est satis probabile, relationem prædicamentalem complecti omnes omnino relationes veras, & reales, quantumuis multæ inuoluantur in cæteris generibus primis, esseque conditionem vniuersalem, & transcendentem omnia, quin tamen ob id sit tollenda de numero prædicamentorum, illorumve vnum minime censenda, pro eo, & ac ac manet explicatum tract. præcedenti cap. 4. ita pariter habitus esse poterit prædicamentum quoddam speciale, & ex decem supremis generibus vnum, tametsi cuncta transcendat.

51 Porro autem hanc transcendentiam concessisse videtur habitui præter antiquorum alios Augustinus in catagor. cap. 16. *Non vno (inquit) modo habere aliquid dicimur. Quantum enim tractando colligimus, sub hoc verbo octo sunt quasi quædam species. Prima est quoties animo habemus aliquid, vt iustitiam, castitatem, iniustitiam, vel libidinem. Secunda, quoties in corpore habere aliquid dicimur, vt albedinem, & nigredinem, varietatem, vel cætera, que per qualitatem corpori insidunt. Tertia de quantitate descendit, quoties quatuor, vel quinque pedum habere dicimur longitudinem. Quarta, cum, non in toto corpore, sed in parte corporis aliquid habere firmamur, vt in digito anulum, in pede calceos, vel coturnos. Quinta species est, cum, non in corpore, sed circa corpus habere aliquid dicimur, vt est vestimentum, atque indumenta omnia. Sexta, quoties ipsas partes corporis habere narramus, vt manus, pedes, caput, aut reliqua qua sunt in compagine membrorum. Septimus vero locus est, quoties far, vel vinum vas aliquod habere dicimur. Octauus habendi gradus est, qui possessionem nostram, vel dominium videtur ostendere, cum ades, vel rus quis habere dicimur, vel sepulchra maiorum. Hactenus ille.*

52 Secundò dici potest, & non minus probabiliter, habitum quidem transcendere cuncta prædicamēta, vt rectè contrariò efficitur argumento, cæterum pro- vt ei obnoxium transcendentiæ, esse habitum trans- cendentalem, non verò prædicamentalem : qua ratio- ne tractatu præcedenti capite tertio constitutum est, su-

minùs vt indubitanter verum, at certè vt verisimile, relationem, quæ per omnia vagatur prædicamenta esse transcendentalem, non verò prædicamentalem. Vt autem huius ab illa discrimen ibidem est tradi- tum, ita nunc facillè potest quoddam exhiberi inter habitum prædicamentalem, & transcendentalem : ille nimirum est habere solum vestes, aut arma, aliudve quidpiam simile, hic verò posterior est quivis alius habendi modus.

53 Secunda difficultas nobis obiecta nullam facefit : nam habitus non proptèr est perinde, atque esse vesti- tum, siue armatum, numeratur à Philosopho inter species qualitatis, sed proptèr est facilitas quædam permanens, & stabilis ad quidpiam operandum, vt virtus, & scientia : haud ergo prædicamentum hoc, nisi nomine tenus est idem cum qualitate, aliquave eius specie, siue parte subiectiva : parum autem re- fert idem nomen de pluribus prædicamentis acqui- nocè dici : quo pacto relatio significat prædicamenta- lem, necnon quamvis aliam non prædicamentalem, sed transcendentalem, vt iamiam perstrictum, suoque loco latius explicatum.

54 Quod ad tertiam attinet difficultatem, ei respon- dent Rubius, Vallius, Sanchez, & alij non pauci, ha- bitum esse accedens quoddam modale ab armis, ac ve- stibus, cõque, cui adiacent distinctum : In eadem etiam sententia videtur esse Gilbertus in lib. 6. prin- cipiorum habitum ita definens : *est corporum, eorum- que, qua circa corpus sunt adiacentia*. En distinguit ha- bitum à vestibus, & armis homini circumpositis, eumque docet esse adiacentiam quandam. Idem quo- que insinuat Aristoteles lib. 5. Metaph. cap. 20. *Habitus autem dicitur vno modo tanquam quidam ha- bens, & haberi actus, sicut actio quadam, aut motus : nam cum hoc quidem efficit, illud vero sit, est media effectio ; ita & habens vestem, & vestis habita est me- dius habitus : hunc itaque habitum, quod non contingit habere manifestum est, ad infinita enim progredere- tur, si habiti esset habitum habere.* Ecce ait, habitum ab extremis, eo nimirum, qui vestitur, & armatur, ac ve- stibus, & armis distingui, & vtrinque medium esse, non aliter, atque actio distinguitur à causa, & effectû, & vtrinque media interiacet ; insuper hominem haud vt vestes per habitum distinctum, ita hunc per alium habere, alioqui fore, vt daretur processus infi- nitus habituum ; qua ratione, si actio, aliqua per aliam ageretur, nullus esset actionum finis. In eadem opinione sint etiam, necesse est, quotquot prædica- menta realiter adæquatè distincta esse tenent : vestes enim, & arma, & qui regitur eis homo, substantiæ sunt : prædicamentum ergo habendi, in illorum complexione statuere nequeunt, & auctores, sibi si cohareant.

55 Verum enim, modum illum distinctum reiciunt Suarez disput. 53. Metaph. sect. 1. num. 3. Conimbr. tomo 1. Logicæ in prædicam. cap. 9. quæst. 3. art. 2. Hurtad. in Metaph. disput. 18. §. 2. Arriaga disputat. Metaph. sect. 3. num. 44. Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 2. sect. 5. ad 4. Balchazar Tellez in Log. disp. 8. sect. 2. num. 10. Auerfa quæst. 22. Log. sect. 7. & ple- rique alij doctores. Quibus accedo : namque existen- te homine, & vestibus, & intercedente vtrinque rela- tione quadam prædicamentali, situs, & indistantiæ, merito cuius vestes circumponantur homini, hoc ipso intelligitur eum esse vestitum ; superfluum ergo est quivis modus superadditus, ad eiusmodi tribuen- dam denominationem, vt in argumento principali obiciebatur satis apposite.

56 Porro autem, nobis fortè haud aduersatur Gilbertus : adiacentia enim illa, per quam definit habitum,

ita explicari potest, vt sit denominatio extrinseca, non modus quispiam intrinsecus. Quid quod de eius sententia parum curandum esse, auctor sit B. Thomas opusc. 48. Nonnulla inquit ab eo dici, & falso, & sine auctoritate, Aristoteles autem loquitur de habitu, non prout est speciale prædicamentum, sed prout est actus habendi, siue habitio, cuiuscumque ea sit generis; tantumque contendit, actum habendi vestes, v.g. easque induendi, haud esse hominem, & vestes ipsas, quomodolibet sumptas, & in arca, aut alibi procul positas, sed potius earum circumpositionem, & adiacentiam, siue vnionem quandam cum eo, qui induitur: quod autem ea vnio sit modus aliquis intrinsecus, & non potius relatio prædicamentalis propinquitatis, aut situs cuiusdam cæterarum ritus, partim intrinseca, partim extrinseca, hoc in medio relinquit.

57. Bene autem est, quod comparat hanc relationem actioni: vt enim hæc distinguitur à causa, & effectu, ita illa à fundamento remoto, & termino, homine scilicet, & vestibus: est namque par vbitatum ab eorum entitatibus realiter distinctum, illisque superadditum: haud autem habet homo suam, vestiumque suarum vbitatem per alias, ne detur processus in infinitum; sicut etiam causa nequit agere actionem suam per aliam sine infinitate actionum omnibus exorsa, & merito. Par ratio est iuxta Aristotelem cuiusvis alterius habitationis: ea enim, qua paries dicitur habere candorem, non est hic, & ille, sed vnio quadam media, quam paries, non per aliam, sed per se ipsam habet. Illa etiam, qua locus habet, siue continet rem locatam, non est vtriusque aggregatio, sed vbitas, & continentia localis, quam habet locus, non per aliam vbitatem, & continentiam, sed per sese. Denique, vt aliis exemplis superfedeam, esset enim longum omnia persequi, habere regnum non est persona regis, & regnum ipsum, hæc siquidem duo possent inueniri, tametsi quispiam non haberet regnum, sed esset eo spoliatus: est ergo possessio quadam regni, & aliquid, siue Physicum, siue morale inter regnum, & personam regis medium. Nihil ergo nobis obest, nihil aduersamus prod. st. Aristotelis ille textus ex lib. 5. Metaphysicæ cap. vigesimo erutus.

58. Fateor, nobis aduersari plerisque eorum auctoribus, qui prædicamenta realiter distinguere oportere contendunt. Quod tamen ea multoties distinguuntur, non re, sed ratione sola probatum est supra tract. 4. cap. 4. Vbi pro eadem sententia retuli B. Thomam, Capreolum, Sorum, Iauellum, Henricum, Auerroem, Alensium, Toletum, Suarez, Vasquez, Rubium, Hurtadum, Arriagam, Balthasarem Tellez. Quocirca vestes, & homo secundum se sumpti erunt in prædicamento substantiæ, quatenus vero afficiunt se inuicem, & homo vestibus subest, & hæc illum circumregunt, in prædicamento habitus: quo pacto Petrus & Paulus seorsim vsurpati sunt in genere substantiæ: at verò in prædicamento relationis quatenus alter se habet quodammodo ad alterum, siue prout sunt inuicem similes, aut æquales.

59. Melius ergo satisfit tertiæ ei difficultati negato illo modo distincto, & constituto habitu prædicamentali, non in eo, sed in denominatione extrinseca. Quæ tametsi in totum sumpta sit quoddam ens per accidens utpote sita in aggregatione plurium rerum realiter distinctarum, & quod plus est, non vnitarum, at vsurpata penes id, quod importat pro formali, & magis principaliter vestes, verbi gratia, & hæc vt sunt substantiæ quædam, ita quidem est ens per sese: atque hoc satis est, vt prædicamentum quoddam ea constituat. Vltimus ad prædicamentum metaphysicè

sumptum haud opus est, vt sit ens per sese vlla ratione: quidni ergo habitus saltem metaphysicè prædicamentalis consistat in denominatione extrinseca, & per accidens.

60. Quartæ difficultati respondeo cum S. Thoma opusc. 48. cap. 1. esse vngularum, dentatum, comatumve haud esse in prædicamento habitus, quoniam sunt partes substantiales hominis, eiusque essentiam, sin minus necessario constituunt, at certè integrant, adeoque sunt in prædicamento substantiæ simul cum ipso homine, & prout in eo clausæ: quod enim est de substantia rei, & ab ea habetur non accidentaliter, aut secundario, sed primario hoc in eodem cum illa prædicamento debet constitui: nisi vero habere corpus, & animam rationalem sit in genere habitus, & non substantiæ. Quod autem Auerſa vbi supra docet, vngues, dentes, & capillos tantum, si non informantur animo rationali, spectare ad hoc prædicamentum, quo de agnitus; sin autem sint partes animatæ, esse extra illud, nihil habet verisimilitudinis, ne dum veri: siquidem eiusmodi partes siue anima rationali, siue alia forma substantiali in anima informantur, non sunt essentielles, sed integrales, hoc est ad essentiam hominis non sunt necessariae, sed ad solam talis essentiae integritatem, & complementum quoddam: non est ergo, cur qualeslibet sint, denominationem huius prædicamenti propriam non impertiant.

61. Quintæ difficultati tametsi respondeat Fonseca loco superius citato, indumenta, & arma ratione solius substantiæ esse in prædicamento habitus, alij vero ratione formæ artificialis; probabilius tamen est, quod beneficio vtriusque, vt bene Auerſa vbi supra. Quod autem complexi, in quo sita sunt arma, aut indumenta pars vna sit substantia, & altera qualitas, haud tollit, quo minus ambo simul sumpta, & prout conficiunt totum quoddam ratione distinctum non sint in prædicamento habitus: quo pacto Petrus secundum se est substantia, & Paulus itidem: ambo vero simul sumpti, & prout similes per relationem quandam ab eis virtute distinctam sunt in genere ad aliquid. Hinc autem ad summum fit idem diuerso respectu, & penes aliam, aliamque sui formalitatem esse simul in diuersis prædicamentis. Quæ in re, si modo res est, & non potius vox mera nihil absurditatis comperio.

62. Quod spectat ad postremam difficultatem, Rubius, & alij ad solos homines prædicamentum habitus restringunt: At B. Thomas, illud ad alia extendit animantia, cum verbi gratia, armetur elephas, vestiatur simia, & phaleris condecoretur equus: Auerſa liberalior est, & ad res etiam inanimas, genus hoc porrigit, propterea quod statuæ, exempli gratia, vestiri dicantur, & ornari. Cæterum totum diffidium est, de lana, vt aiunt caprina: quia enim refert, quam latè pateat, aut quousque coerceatur hoc prædicamentum: & quamcunque elegeris partem, quid est, quod eam magnopere probeat, aut improbet?

63. Quod superest, duo attributa potissime solent habitui assignari. Prius est suscipere magis, & minus. Posterius non admittere contrarium. Magis, & minus habitui conueniens, haud est intelligendum intensiue, & gradualiter, sed extensiue tantum: nam ideo dicitur quidpiam magis, vel minus vestitus, armatusve alio, quia vestes eius, & arma, sunt plura, quam alterius; non vero, quod sint vlli intentioni, aut graduum in eodem subiecto replicationi obnoxia, sunt enim substantiæ, non accidentia. Contrarietas autem, quam respuit habitus, scilicet primario, ei potest conuenire secundario; & ratione qualitatem

qualitatum quarundam : quamvis namque vestiri, & armari, esse pilcatum & calceatum, aut bracteatum, haud sint opposita; at opponuntur hominem simul pulla, & alba veste indui. Atque hæc habui de habitu dicere.



TRACTATUS VIII.

De Postprædicamentis.

CAPVT I.

De oppositione in communi, eiusque prima, & secunda specie.

I GENDVM nobis est in hoc tractatu de oppositis modis prioris, modis simul speciebus motus : ac modis habendi : quæ cum frequenter occurrant in cathégoriis, nec ante has explicentur (tum quia non recte possunt, tum ne præludium operis supra modum excreseat) idcirco pertractantur post eas : adeoque postprædicamenta solent appellari. Vt ergo incipiamus ab oppositione, & eius speciebus : oppositio physica (haud enim est in præsentī sermo de intentionali, & logica, quæ nimirum non extrema simplicia, sed propositiones pugnant in veritate, & falsitate, affirmatione, & negatione, vniuersalitate, & particularitate) quadrifariam distribuitur ab Aristotele, & cæteris scholasticis : videlicet in relatiuam, cuiusmodi est patris, verbi gratia, & filij; contrariam, qualis est candoris, & nigroris; priuatiam, cuiusmodi est visus, & cæcitatē; & contradictoriam, qualis est sessionis, & non sessionis. Vt enim optimè disputant Scotus, Conimbricenses, Tellez, & alij, tum nuperi, tum antiqui, quæcunque mutuam gerunt oppositionem; aut ei sunt obnoxia velut duo entia; aut velut ens, & non ens. Si primum: aut utrumque ens est relatiuum; atque ita oppositio est relatiua: aut contra utrumque est absolutum, & eiusmodi, vt neutrum dicatur ad conuertentiam respectu alterius; & sic oppositio est contraria. Si secundum: vel opponuntur ambo in ordine ad subiectum quoddam capax recipiendæ formæ; atque ita oppositio est priuatiua; vel sine respectu ad eiusmodi subiectum destinatum, & sic oppositio est contradictoria.

2 Oppositio relatiua à non paucis iudicatur intercedere inter relationes solas: ab aliis inter relationem, & eius terminum: & à nonnullis, tum inter priora, tum simul inter posteriora extrema. Ipse arbitror, eam versari inter fundamentum duntaxat, & terminum. Moueor autem hoc argumento. Relationes prædicamentales, verbi gratia, Paternitas, & Filiatio haud ab extremis suis, haud consequenter inter se distinguuntur reuera, sed virtute tantum, vt visum est in loco: fieri ergo nequit, vt inter eas intercedat vera oppositio relatiua: hæc enim ritu cæterorum respectum postulat distinctionem realem extremorum: præsertim, cum ex ea præ cæteris colligatur in mysterio triados personarum distinctio realis, iuxta vulgare Theologis paramiam: omnia sunt vnum in Deo nisi ubi obest relationis oppositio, siue, quod iuxta est, oppositio relatiua. Rursus iuxta Aristotelem in cathégoric. capite 10. inter scibile, & scientiam est oppositio relatiua: at non pauci aduersariorum putant eam inter extrema haud esse, nisi vnā tantum relationem, non vero duas, vnum-

que extremorum illorum referri verè, & realiter ad aliud, & non è conuerso: ibi ergo oppositio relatiua haud est inter relationes, quippe quantum inibi nulla est multiplicitas.

3 Iam relatio prædicamentalis, paternitatis v.g. haud est adæquate, & perfecte distincta à termino, à quo tamen ita distinguitur fundamentum: cum ergo oppositio relatiua sit coniuncta cum distinctione, & cum maiori maior, sanè plus opponuntur relatiuè fundamentum, & terminus, quam relatio, & quod eam terminat, adeoque inter sola illa, non vero inter hæc est consummata, & perfecta oppositio relatiua. Præterea hoc genus oppositionis haud restringitur ad relationem prædicamentalem, sed cuius etiam transcendentalis est commune, vt bene præter alios animaduertit Auerſa q. 22. log. lect. 1. Ante medium: est relatio transcendentalis multoties est omnino indistincta à termino, vt v.g. cum actio refert causam, non ad effectum modo, sed etiam ad se ipsam, & cognitio etiam potentiam ad se. his ergo in euentis nulla est oppositio relatiua inter relationem, & terminum, cum tamen nulla in hypothesi, aut circumstantia fundamentum, & terminus defectu distinctionis realis cessent opponi relatiuè: quocirca relatio, & terminus ex genere suo, vt aiunt, istiusmodi nequitiam subiiciuntur oppositioni. Quæ cum ita sint, superest, vt sola relationis extrema, id est fundamentum, & terminus, eam vendicent.

4 At obieciens primò: duæ relationes v.g. paternitas, & filiatio ita sunt institutæ, vt, quod est fundamentum vnius, sit terminus alterius, & quod alteram terminat, eo ipso fundet priorem: habent ergo conditiones adeo oppositas, ac distantes, vt idem nequeat esse vtriusque fundamentum; idemvè terminus: opponuntur ergo relatiuè. Secundò: relationes supradictæ (par autem est ratio quarumvis aliarum) sunt quædam formæ incòpossibiles in eodem subiecto: haud enim idem homo potest esse simul pater, & filius respectu alterius, hisve duabus relationibus simul subesse: fundamentum verò, & terminus nequitiam sunt formæ, vel formarum instar: quando ergo oppositio versatur inter formas, magis est, vt quæ dicitur relatiua sit inter relationes, quam inter relata, siuè relationum extrema. Tertiò oppositio relatiua videtur esse debere inter terminum, & id, quod eum immediate ferit: at sola relatio illam immediate ferit, fundamentum vero non, nisi mediante relatione: inter hanc ergo solam, & terminum est oppositio relatiua.

5 Tandem quartò: non est oppositio relatiua inter Petrum v.g. & Paulum secundum se duntaxat, & propterea sunt homines, sed quatenus sunt pater, & filius, aliove modo referantur inuicem, vt palam est: Atqui pater, & filius sunt relationes, sin minus in abstracto, at certè in concreto: oppositio ergo relatiua est inter relationes. Atque hinc emergit quoddam argumentum non contemnendum aduersus nostram sententiam de relationis prædicamentalis indistinctione reali suis ab extremis: ea namque si foret vera pater ex toto sumptus, & filius similiter essent realiter indistincti: alteruter enim esset re ipsa non aliud, quam complexum eius, qui genuit, eiusque, qui genitus est, nec non generationis præteritæ, tametsi talis aggregati aliæ formalitates vnius, & aliæ alterius forent propriæ, quod non ad realem distinctionem, sed ad virtualem, & solius rationis rationatæ spectat. Consequens videtur euidenter falsum: cum enim sit oppositio relatiua inter patrem, & filium propterea tales, qui fieri potest, vt ambo non distinguantur realiter: aut si sunt nihilominus indistincti,